



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 2. Vtru[m] Verbu[m] diuinu[m] sit in Eucharistiâ per concomitantiam,  
an ex vi verboru[m].

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



Opinio docet Corpus hic includere formam substantialem, quatenus dat esse humani corporis.

Refutatur.

Verba Sacramentorum id efficiunt sola, quod significant.

Verior sententia est, corpus solum includere formas partiales heterogeneas.

Caro, ossa &c. differunt formis substantiis imperfectis.

His positis: Sunt duae praecipuae sententiae: Prior est, Corpus ibi non includere animam, sed formam substantialem, quatenus dat esse humani corporis: hanc autem formam praescindere secundum se ab anima humana, & formam cadaueris: tamen in re esse alterutram. Ita plerique Thomista.

Sed contra; Forma substantialis sic abstracte considerata, non est producibilis; nam omnis productio necessario terminatur per se primo ad aliquod individuum certae speciei: sed forma substantialis sic praecise considerata, non est certae speciei, nec individua: ergo non est producibilis: ergo non est hic ita praecise ex vi verborum.

Respondent; Aliud est esse in Eucharistia ex vi verborum; aliud esse ibi ex efficacia verborum: nam esse ibi ex vi verborum, nihil est aliud, quam esse ibi quia veritas verborum id praecise postulat: Esse autem ibi ex efficacia verborum, est, esse per actionem realem verborum. Unde dicunt ex vi verborum esse ibi animam, vel formam cadaueris, non secundum rationem specificam; sed praecise ut constituit corpus humanum; tamen ex efficacia verborum, esse ibi totam animam secundum omnes suos gradus; vel totam formam cadaueris.

Sed contra Primo, Quia verba id solum efficiunt, quod significant; nam tota ratio efficiendi est ipsa significatio: ergo, si anima ut anima, non est ibi ex vi significationis verborum, neque etiam erit ex efficacia verborum; quia efficacia non potest se extendere ultra significationem; alioqui etiam vnio hypostatica esset hic ex vi verborum. Secundo, Quia non est aliquis gradus genericus communis animae & formae cadaueris, quo constituitur corpus humanum; nam corpus humanum viuum & mortuum aequiuoce dicitur; nec in aliquo genere propinquo conueniunt. Tertio, Quia hinc sequetur nomen corporis aequiuoce accipi in forma consecrationis: nam non accipitur pro corpore viuo vel mortuo determinate; sed indifferenter, ut extendit se ad utrumque. Unde ulterius sequitur, non idem corpus per consecrationem esse modo in Eucharistia, quod olim fuisse in triduo mortis, si Apostoli tunc consecrassent. Et, non esse idem, quod olim iacuit in sepulchro. Quod est contra Ambrosium lib. de his qui Mysterijs initiantur cap. 9. Denique sequitur, transubstantiationem, quae nunc fit, esse diuersae speciei ab ea, quae facta fuisse in triduo mortis.

Altera igitur sententia, quae verissima videtur, est: Corpus solum includere formas partiales partium heterogenearum; ut formam ossis, carnis, nerui, cartilaginis, cerebri, iecoris, cordis; & reliquarum. Probatur, Nam certum est Corpus Christi, ut est in Sacramento ex vi verborum, constare carne, osse, neruo, &c. Ioannis 6. praecisus hisce à ratione viui & mortui. Atqui caro, os, cerebrum; &c. non videntur solis accidentibus differre, sed etiam formis quibusdam substantialibus, imperfectis tamen, & preparatorijs ad formam sublimiorem, scilicet animam; ut docent omnes Medici, quibus hac in re est maxime credendum. Nam corpus humanum non solum animae est receptaculum, sed etiam instrumentum: ergo has formas includet. Quae sententia longè dignior est Corpore Christi, quam altera, quae formam cadaueris introducit; quam etiam dicit hypostaticè vnitam in triduo mortis; & futuram fuisse in Sacramento,

si quis Apostolorum in triduo mortis celebrasset. Simili modo sanguis formam suam habet, qui hic est ex vi verborum.

Petes, Vtrum Sanguis hic sit per modum continui, an discreti?

Respondeo, Nunc Sanguinem, tam sub specie panis, quam sub specie vini, esse diuisum secundum distinctionem venarum & arteriarum, quibus in Corpore Domini continetur. Ratio est, Quia non est extra naturalia sua vasa. Quod si in triduo mortis facta fuisset consecratio, quando Sanguis varijs locis sparsus erat, credibile omnino est, illum Sanguinem futurum fuisse per modum continui; quia fuisset extra naturalia sua vasa, quibus separatur. Locorum autem externorum distinctio non necessario debuisset seruari; quia loca ipsa non erant ponenda in Eucharistia. Simile fuisset in particulis Corporis, si ante Incarnationem hoc mysterium fuisset institutum. Etsi enim particulae illae infinitis locis extra Sacramentum dispersae fuissent, tamen eadem particulae in Sacramento fuissent continuae & vnitae.

DVBIVM II.

Vnum Verbum diuinum sit in Eucharistia per concomitantiam, an ex vi verborum?

Respondeo; Per concomitantiam. Colligitur ex Concilio Trident. sess. 13. cap. 3. vbi insinuat solum Corpus esse sub specie panis; & solum Sanguinem esse sub specie vini ex vi verborum; cetera vi connexionis cum his. Diuinitas, inquit, ibi est propter admirabilem eius cum corpore, & anima hypostaticam vnionem; vbi per diuinitatem intelligit ipsum Verbum diuinum, quod per se primo vnitur corpori & animae. Quod si diuinitas est ibi solum ob vnionem cum corpore, & anima; ergo non ex vi verborum, sed ob connexionem, quam habet cum eo, quod ibi est ex vi verborum: ergo concomitanter.

Dices, Verbum diuinum ait, Hoc est Corpus meum: ergo significat expressè hoc Corpus esse vnitum hypostaticè Verbo: ergo Verbum est ibi ex vi verborum consecrationis.

Respondeo; Si ita expressè dixisset: Hoc est Corpus meum, hypostaticè vnitum; vel Hoc est Corpus Filij Dei; non esset dubitandum, quin diuinitas hic esset ex vi verborum; nam proprietates verborum postularer, ut Corpus, quatenus est in Eucharistia, sit vnitum diuinitati. At non ita dixit, sed solum: Hoc est Corpus meum; per quod tantummodò significatur identitas Corporis, quod est in Eucharistia, cum eo quod in forma sua naturali est vnitum Verbo; non autem quod illam vnionem etiam habeat in Eucharistia: nam etsi poneremus in Eucharistia non esse vnitum Verbo; tamen verum erit dicere: Hoc est Corpus meum.

Hinc colligitur etiam Patrem & Spiritum sanctum esse in hoc Sacramento concomitanter; sed concomitantia mediata; quia ex vi connexionis cum diuinitate Verbi, & ipso Verbo. Sicut enim Verbum diuinum est ibi peculiari modo ex vi connexionis cum Corpore Christi, quae est concomitantia immediata; ita Pater & Spiritus sanctus sunt ibi peculiari modo ex connexionem cum Verbo in diuinitate; quae est concomitantia mediata. Omnia tamen haec ibi verissime sunt, & perfectissime.

ARTI-

An Sanguis in Sacramento sit per modum continui, an discreti.

Affirmatur.

Virgetur ex verbis Conc. Tridentini.

Obiectio.

Solutio.

Pater & Spiritus etiam concomitantur in hoc Sacramento.